Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26360
Copyright: Admont, Benediktinerstift

61

l' damasci. lxx. dixerunt uisio l' uerbum. symachus
et theodocion. assumptio interpretati sunt. Quando enim
falsi prophete onus populi. id est afflictionem uident et im-
minentia delictorum supplicia falsis consolatio-
nibus leuigant. et deicere a dorso peccatorum
onera imminentia certant. sed utique est falsa
assumptio scilicet et deiectio. quia sepe ex leuioribus
culpis grauiora onera l' assumptiones populo pronun-
ciant. Et ex grauioribus leuiora. quasi diuina auc-
toritate peccantibus annunciant. Sed ue illis
qui dicunt malum bonum. l' bonum malum. l' secundum
aquilam. qui dicunt bono. malus es. et malo. quia
bonus. His quoque duabus litteris peruersos doctores et
auditores plangit. sic eorum interpretatio os-
tendit. MEM. NUN. id est existis sempiternum sup-
plicium. qui scilicet et male docent subditos. et male
audiunt magistros. Mor. Prophete tui. l' c.
Habet anima prophetas exteriores falsos. sensus scilicet
carnales. qui presentia nunciant. futura non cu-
rant. Habet interiores peruersos cogitatus qui pruden-
tia carnis congignuntur. qui falsa et stulta ostendunt
nobis. Hii enim iudicant esse dampna. si quid in
presenti de uoluptatibus mens pretermittat.